

libus paranda, ad evacuandas Cruditates fortè in itinere ex usu cibi potûsque insueti collectas, unde varia deinceps symptomata metuenda forent. Et præmissio hujusmodi medicamento tum demum invocato Dei T. O. M. auxilio Thermarum potationem alacriter auspiciari oportet, ac eum in modum prosequi, ut superius ab initio hujus Capitis ostensum est.

CAPUT VI.

De Potantium Symptomatibus & horum curâ.

1. **D**UM potationi Thermarum sanitatis studiosi incumbunt, variis symptomatibus obnoxii esse observantur, cujusmodi sunt *Vomitus, Colica, Diarrhoea, Lienteria, Fluxus hepaticus, Hæmorrhagia, Cardialgia, Lipothymia, Suppressio urinæ, Alvi, Tumores, Exanthemata cutanea vel Excoriatio, Cephalalgia, Convulsiones hystericæ, Palpitationes cordis, Dolores vagi membrorum, Oppressio pectoris, Asthma, Tussis, Catharri varii,* & plura id genus in his illis potantibus observabilia. Quorum pleraque oriuntur ex propriâ Potorum culpâ, vel ex inordinata Diætâ, vel ex irregulari & immodico Thermarum usu, vel ex ingestis imprudentium vetularum consilio remediis nocivis, cujusmodi casus quotannis admodum multi dantur, dum unusquisque Thermarum proprie-

Quibus symptomatibus potores Thermarum obnoxii?